

ad idoneum Ecclesiæ ministrum constituendum  
requiruntur. Qvod si in unico duntaxat deficit,  
contemptui est expositus. Quid si vero in multis?  
Quid si in omnibus? Non deerit mundus, qui  
ea observet, ministrumque ideo contemnet.  
Cavere igitur sedulo debent omnes, qui aut mi-  
nisterium ambient, aut in eodem versantur, ne  
in ulla parte deficiant. Id si sunt consecuti, non  
oberit illis ætas, non juventus, non statura nimis  
parva, non forma non satis elegans, non alia,  
quæ quasi extranea sunt, & proprie ad Ecclesiæ  
ministrum intime constituendum non requirun-  
tur. Atque hæc præfanda erant propter *Can-*  
*didatum nostrum*, virum admodum Reveren-  
dum atque Præcellentissimum, Dr. M. GUIL-  
IELMUM VVILCKIUM, Memela Borus-  
sum, hactenus Facultatis Philosophicæ apud nos  
Adjunctum, nunc vero vocatum Ecclesiæ Pa-  
rochialis Memelensis Ministrum. Turbare ali-  
quem posset ætas ejus non adeo magna; verum  
licebit hic admonere omnes, qui hæc legunt:  
*nolite contemnere ejus juventutem.* Nam præ-  
terea, qvod ea sufficiens sit ad munus recte ex-  
pediendum, accedit insignis ejus eruditio, quæ

B

nobis